

BOTANISCHES INSTITUT  
der Universität Wien

Bibliothek

J.-Nr. 4693

Sign.


299/40


BOTANISCHES MUSEUM  
der k. k. Universität.

J.Nº 4693

B

~~842179~~  
234104





**Novitiae Floræ Sveciæ  
ex Algarum familia,**

quas

in itineribus ad oras occidentales Sveciæ annis  
1832—35 collegit et cum observationibus diagnos-  
ticis et geographicis,

adsentiente Ampliss. Facultate Philos. Lundensi,

p. p.

**JACOBUS G. AGARDH,**  
Bot. Docens.

Respondente

**THEODORO SCHAGERSTRÖM,**  
Scano.

In Academia Carolina die xiv Maji MDCCXXXVI.

P. I.

---

LUNDÆ,  
typis excudit CAROLUS FR. BERLING,  
Universitatis Typographus.

MDCCXXXVI.



Yannaeus et son  
épouse

app

in literature at the other occupied by Sweden since  
1835—37 following the war of separation of Finland  
from the Federation.

absent from the Polish-Pomeranian  
provinces.

b. b.

LEONARD G. AGARDH

Prof. Docent

Leeds University

THEODORE SCHAFERSTÖW

Scandinavia

In秧谷の植物の研究

D. 1

LUND

Tabes expositi G. Röhrs En. Berling  
Universitatis Lundopolitanæ

MDCCLXXVII



A n o d e c a m p i n a r e v e l e n d o

P a t r i O p t i m o

T r a s t e r p a d i

THEODORUS SCHAEFFERSTADT  
SACRUM VOLUIT

FILII PIETAS.

Viro admodum reverendo

**GUST. AD. THESTRUP,**

*Philosophiæ Doctori, Ecclesiæ Landscronæ Pastori,  
Territorii Rönneberga Præposito,*

favoris et amicitiæ memor

**THEODORUS SCHAGERSTRÖM**

**U**nde vicesimus jam volvitur annis post editam *Synopsin Algarum Scandinavice* <sup>1)</sup>. Scientiam, tunc adhuc in incunabulis fotam, tanto præterlapso spatio magnopere profecisse, habitumque Algologiæ istius nostrique ævi non parum diversum esse, facile quidem suspicari licet. Undique istinc favore amplexa Algologia, tantum postea accumulata fuit novarum moles, ut sive numerum specierum detectarum, sive cognitionem Algarum antea descriptarum magis absolutam et perfectam respicias, nullam inquam ætatem tam novis feracem invenias, quam illam ipsam, quæ, currentibus annis, post editionem illius Synopseos elapsa sit. Quod ad patriam nostram ipsam attinet, non paucæ postea civitatem ejus Floræ adeptæ sunt Algarum species; multas tamen, licet Sveciam hoc respectu inter optime notas haud temere numerare posse videamus, adhuc indefectas recondi, non est quod miramur. Nobis quidem per quadriennium littora nostra occidentalia perquiritentibus <sup>2)</sup>, tot incolas patriæ novas indagare licuit, ut numerum cognitarum quinta parte auctum hic sistere valeamus <sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> C. A. Agardh Synopsis Algarum Scandinaviæ, Lundæ 1817.

2) Medium nempē aestatem 1832 ad Helsingburgum, spatiumque magis autumnale (ab initio Julii—Septembr.) 1833 ad Kullaberg degens, in vegetationem nostram magis australēm cognoscendam operām dedi; sequentibus aestatis Bahusiam totam a Marstrand usque ad Norvegiam insimam sedulo perscrutatus sum.

<sup>3)</sup> Quas primum intra patriam indagavimus, signo crucis notavimus.

Æquo autem passu cum cognitione specierum, quæ hic ut alias semper antecedere debet, haud semper processit Algarum physiologia. Licet enim haud pauci fuerint, qui in illam, quæ in earum fructificationem inquirat, partem illustrandam incubuerunt Algologi, tota tamen nostra de organis fructificationis Algarum cognitio, hypothesibus fere innititur, nullis umquam apud longe maximam partem institutis experimentis, quæ veras eorum functiones illustrant. Hinc summa illa de functionibus organorum plurimorum incertitudo, hinc termini illi vagi nulliusque sæpe significationis, hinc denique fluctuans atque infirmum totius systematis ædificium. Cujus quidem defectus scientiæ mature conscius, et inde ab initio nostri harum plantarum studii, in illam Algologie partem incitatus, in id præcipue operam dedi, ut numerosis observationis germinationibus, accuratiorem qnandam de earum fructificatione haurirem notionem. Viam itaque experientiæ directam ingredientibus, non potuit quin notiones de fructificatione Algarum antea receptæ nostris non raro omnino contrariæ evaderent, unde diversæ quoque de earum affinitatibus redundarunt sententiaæ, et haud paucae in ipso Systemate necessariæ factæ fuerunt mutationes.

Enumerationem itaque Novitarum, quas ad oras nostras occidentales indagare lieuit, periclitantes, a recepto Algas disponendi modo declinare coacti fuimus, et observationibus in earum germinationem et fructifications institutis fulti, novam dispositionem, in multis certe adhuc claudicantem, miti Algologorum judicio subjicere ausi sumus.

Antequam vero ad ipsam enumerationem Algarum patræ transimus, pauca, ut fert consuetudo, de geographicis harum plantarum ad oras nostras rationibus præmittere lubet. Geographicas autem leges penitus perlustrare, si est alias difficile, hic quidem summis difficultatibus conjunctum est. Quippe quum Algæ, profundi maris sæpe incolæ, non solum cum difficultate legantur et observentur, sed etiam agilitate ipsius elementi, quod inhabitant, a locis natalibus sæpe profugæ sint, quid regula, quid sit aberratio enucleare, non parvi quidem laboris. Pauci insuper ii, qui in Geographiam Algarum inquisiverunt, pauciora ea quæ nobis usui esse potuerunt. Si autem in re tam nova, non potuit quin multa irrepese-

rint vitia<sup>3</sup>, ex hae eadem causa eo quoque majorem indulgentiam exspectare audemus.

Qui geographiae Algarum vacarunt Botanici distributionem earum a temperatura præcipue pendere demonstrare conati sunt. Neque hoc omni injuria! Vegetationem enim marium, ut polos adpropinquamur, sensim decrescere omnibus quidem liquet; et itaque maria, Angliam alluentia, vegetatione multo ditione scatere, quam quæ Sveciam ambiunt, omni jure assumere licet. Vim tamen temperaturæ in Algas, ut de aliis inferiorum ordinum plantis constet, valde diminutam esse et in eas magis indirectam, jam exinde forsan concludere licet, quod permultæ species sub zonis fervidi frigidique coeli diversis æque bene proveniunt.

Alia vero sunt momenta, quæ vi magis directa in vegetationem diversorum marium determinandam pollent. Quantum ita ipsa chemica, ut ita dicam, circumfluentis elementi iñdoles valeat, jam diversa, oras nostras alluentia, maria eximiis docent documentis. Ut enim salsedo maris Codani et Baltici longe diversa sit, ita etiam vegetatio in hoc et illo valde varia, et species, quæ in utroque occurunt, in hoc formis adeo contractis ludunt, ut difficillime ad species primarias referantur. Plurimæ vero species, quæ in salso mari optime vigent, ad Helsingburgum, sive ad ostium freti Sundici, ita desinunt, ut vegetationem longe diversam cis et trans hanc urbem deprehendimus. Ita *Laminarias*, *Fuc. nodosum*, *Florideas* plurimas, *Callithamnia*, ceteraque in sinu Codano frequentia, in freto Sundico numquam vel rarissime invenimus. Hinc sequitur, cum longe maxima pars littoris patriæ mari minus salso conspergitur, vegetationem illius iis potissimum familiis scatere, quæ geographicis rationibus quam minime pendent, Florideasque etiam ac ceteras, quibus tantum luxuriat Nereis Atlantica, apud nos præcipue parcas esse, et quidem superiori Sinu Codano, utpote e nostris maxime salso, fere tantummodo privas. Etiam si computationem Algarum Angliæ et Sveciæ instituere lubet, patebit, quot in Anglia obveniunt Ulvacearum species, totidem circiter in ipso freto Sundico occurunt, cum ne sexta quidem pars Floridearum Angliæ in freto Sundico adsit et in ipso sinn Codano plus quam dimidiam earum partem desideramus. Eadem quidem causæ præcipue tribuendum credi-

derim permultas species ad oras oceanii Atlantici vulgares, ad nostras omnino desiderari.

Indolem itaque maris in faciem vegetationis suae determinandam maximam habere vim, ejusque diversitatibus diversas vegetationes maris Baltici et Codani praecipue pendere, nullis dubiis vacare existimarem. Sed etiam aliae sunt rationes, cum illa quidem quodammodo confluentes, quae intra angustissimum spatium vegetationem diversissimam exhibere valent. Ejusmodi praecipue nominandas sunt:

**1:o.** *Altitudo maris.* Unicuique enim Algarum investigatori alias Algas alia profunditate provenire certe non latuit. Ad oras nostras, ubi fluxus et refluxus maris parum insignes, diversitates istoe e profunditate pendentes, non parum prominent. Qui ex gr. ipsum littus sequitur Algologus semper Fucoideas, Ulvaceas, Conferveas etc. manu propria haurire queat; paucissimae autem ei praesto erunt Floridearum species adhuc crescentes; sed haec in littus ejectae semper lectae fuerunt. Multas quoque rationes et diversitates Algarum a profunditate pendere videbimus. Ut ex gr. constat intensitatem luminis cum majori aquae profunditate sensim decrescere, ita etiam colores apud Algas e diversa altitudine maximopere pendent. Species viridescentes ita ipsa superficie maris privae evadunt, et roseae, quarum tantum abludit a vulgari vegetabilium color, ad profundiora maris relegatae sunt. Etiam forma Algarum a pressu maris, diversa profunditate diverso, quodammodo fluere videtur. Sic species fere omnes in alto mari provenientes planae sunt disticheque ramosae, tubulosis in fundis magis vadosis obvenientibus.

**2:o.** Neque minus quam altitudo diversa in ortum aliarum Algarum determinandum habet vim, valet *maris tranquillitas et violentia diversa*. Guicumque enim ejusmodi observationes instituere placebit, non tantum longe alias Algas in rupibus aestu vehementissimo expositis quam quae in sinibus absconditis mari tranquillo lambuntur provenire videbit, sed etiam vegetationem dissimillimam esse locorum, currentibus magis expositorum, ac eorum, quae mari, ut ita dicam, mortuo inundantur. Cui quidem causae quoque tribendum videtur nonnullas Algas, nimirum quae currentibus maris magis expositae sunt, saepe lubricas vel pilis Confervoideis vestitas esse, aliis ea semper desiderantibus, velut apud plantas epigaeas pubescentia

densior evadit, quo magis ventibus aliisque temperaturæ mutationibus obnoxiae sunt.

3:o. Magnam quoque vim *qualitate ipsius soli matricis* attribuerunt Algologi nonnulli, alias Algas rupibus Granitoideis, alias Calcaris, alias Basalticis et s. p. potissimum provenire et luxuriare perhibentes. Quod vero, si in nonnullis valet, in plurimis certe injuria contenditur. Nam non tantum plurimæ, quæ ad oras nostras occurunt, species, etiam in insulis Angliae, quæ quoad magnam partem longe aliae formationi originem debent, proveniunt, sed etiam plurimæ parasitæ æque bene in hac ac in illa specie degunt. Observationibus *Deswauxii* insuper constat Fucoideas, a callo radicali arreptas, saxisque alligatas tamen crescere pergi, ita ut radicem nutritioni Algarum necessariam esse haud verisimile videatur. Neque tamen hoc ita dictum existimari volumus, quasi in omnes species ista quadraret ratio. *Callithamnia* ex. gr. plurima *Furcellariam* aliis preferre, *Hutchinsia fastigiata* in *Fucò nodoso*, *Rhodomenia cristata*, *Rh. palmetta*, *Plocamium* aliaque in radicibus *Lam. digitatae* potissimum vigore videntur; *Hutch. microdendron nob.* inter Mytilos scrobicularum sæpissime provenit, et *Bangia-crispa* cochleas Lepidis Balanoides numquam non investiens obvenit. Nonnullas parasitas, mutata planta matrice, habitum quoddammodo mutare observatum fuit; ita ex. gr. *Calothricem confervicolam* in *Ceramio viridem*, in *Rhod. subfusca* nigrescentem vidimus; et *Bonnemaisonius* ac *Lyngbyeus* de pluribus speciebus idem affirmant. His itaque expositis momentis, quibus provenitus Algarum ad oras nostras præcipue pendent, ad speci aliquem earum distributionis indicationem transgredimur.

Algæ Scandinaviæ in tria regna, seriebus tribus Algarum respondentia, abire videntur, quorum.

1:um, *Regnum Algarum Zoospermorum*, totam vegetationem aquæ dulcis et marinam magis amphibiæ complectitur, unde culmen hujus regni, si tantum thalassophytas respicis, ad littora nostra orientalia positum esse existimandum est, speciebus ad id pertinentibus, ut maria magis salsa adpropinguamur, multo minorem vegetationis partem constituentibus. Quæ harum species sinum Codanum incolunt, in scrobiculis, sinubus reclusis, aliisque locis magis amphibiis fere tantum prove-

niunt, et plures species æque bene in aqua dulci ac in mari vigent. Plurimæ in ipso limine maris occurunt, unde forsan iis fere sempor color viridis; paucæ ut *Conferva gracilis Harv.* et aliquando *Bryopsis arbuscula* e fundis ostreæferis protrahuntur. Fere solæ *Conferva lanosa* et *Bangia crispa* in rupibus vehementissimo mari expositis proveniunt; nonnullæ subolivaceæ in *Fucis* parasite degunt. *Porphyra coccinea nob.* in aperto mari offenditur, sed ideo etiam hæc species colore omnino coccineo quasi transitum ad Florideas mentitur. Has itaque omnes ut profugas considerantes, binas regiones zoospermis nuncupamus.

a) *Regio Confervarum*, complectens Algas aquæ dulcis.

b) *Regio Ulvacearum*; *Ulvæ* ut hujus regionis formæ dominantes forsan judicandæ sunt. Omnes sinus scrobiculosque, præcipue vere amphibios (magis elevatos, e pluviis spumaque maris æquæ impletos) ad oras nostras implent. Formæ hanc regionem præterea designantes sunt: *Conf. ærea* (eximie), *C. rupestris*, aliæque.

2:um *Regnum Algarum Olivacearum*. Ut inter Zoospermas et Florideas quodammodo intermediæ, culmina quoque utriusque regni tangunt Algæ olivaceæ; maria salsiora præoptantes, licet ibi ad sinus magis reclusos configuentes, neque maria minus salsa respuant, formis attamen contractis in his provenientes. Loca summa undarum violentia exposita plerumque effugiunt, paucissimis in aperto mari, ut *Lamin.* *digitata*, *nascentibus*. E contrario nonnullæ etiam in scrobiculis crescent, ita ut spatium omne *Zoospermis Florideisque* intermedium, occupant. Iis sequentes regiones assumere licet.

a) *Regio Lichinæ*.

b) *Regio Sphacellariæcarum*. Quæ ad oras nostras obveniunt *Sphacellariæ* et *Cladostephi* species in scrobiculis inferioribus, mare sæpe accipientibus et respuantibus fere semper proveniunt.

c) *Regio Fucorum*. Ipsum limen maris propria eorum videtur provincia; e profundioribus protracti semper mutati et alienæ formæ. Supremum limen te-

nent *F. vesiculosus* et *F. nodosus*, qui refluxu maris non raro omnino denudati manent. Dein *F. serratus* et *Halidrys siliquosa* paulo inferius vegetant. Mirum quantum omnes summam undarum violentiam effugiunt *Fucaceæ*; littora perquirenti Algologo statim offendet, omnes ipso mari expositas rupes Fucis omnino denudatas esse; utut autem sinulo quodam tuta, omnia iis scatere saxa.

d) *Regio Dictyotearum*. Huc pertinentes Algæ socialiter inter Ostreas optime vigent. Fundis itaque intra tænias exteriōres magis vadosis, 3—6 orgyias infra limitem maris demersis, currentibusque continuo agitatis, optimæ proveniunt. Nonnullæ, ut *Dictyosiphon*, Fucis (attamen plerumque magis demersis) parasitæ degunt, et aliquando e mari mortuo protrahuntur. Ut formæ his locis potissimum propriæ nominandæ *Encoelium sinuosum*, *Striaria attenuata*, *Str. fragilis*, *Zonaria dichotoma*, *Laminaria saccharina*, *Lam. cordata* etc. *Dictyosiphon*, *Chorda*, aliaque aliis habitationibus quoque communia.

e) *Regio Chordariæarum*. *Chordariæ* et *Mesoglojæ* nostrates rupibus, æstu maris magis expositis plerumque occurunt. Ad Florideas itaque hoc respectu transitum efficiunt, colore coccineo ideo quoque non raro induitæ. *Mesogl. vermicularis*, incolis antecedentis regionis socia, colore eximie olivaceo gaudet.

3:um *Regnum Algarum Floridearum*. Ordine, Zoospermarum plane inverso, progredit series Algas Florideas comprehendens, speciebus numerosissimis ad oras nostras occidentales luxurians, paucissimis et contractis formis in freto Sundico proveniens, in Baltico demum fere omnino deficiens. Optimæ quoque in aperto mari, profunditate circiter 6—14 orgyarum, nascuntur. Sed etiam haud paucæ earum formæ in fundis ostreæferis, aliæque in rupibus in ipso limite sitis degunt; paucæ ut *Sphaeroc. plicatus* fere amphibiæ vivunt. Quæ a vera earum patria ita profugæ sunt species, mutationibus inde pendentibus quoque obnoxiae evadunt; forma complanata disticheve ramosa, illis communis, in his in teretem et magis undique ramosam abit; Color roseus in oliva-

ceum vel viridescentem transit, et multæ species eximie gelatinosæ evadunt.

Plures sive dubio harum regiones assumere liceretur, limitibus autem ægre definiendis, his sufficiat:

a) *Regio Chondriæarum.* Chondriæ nostrates in fundis a mari non nimium reclusis optime degunt; individua autem specierum magis rosearum (*Ch. clavellosa*) in aperto mari non raro occurunt, et *Ch. pinnatifida* Fucis parasitica plerumque obvenit. Etiam ut incolæ hujus regionis nominandæ *Griffithsia corallina*, *Hutchinsiae* sp. pl. *Sphaerococci* præcipue teretes etc. Formam itaque teretem coloremque a roseo plus minus aberrantem adhuc servant. Quo autem profundiora et ipso mari magis exposita fiant funda, eo etiam numerosiores evadunt ex aperto mari profugæ et eo magis vegetatio utriusque in eandem coalescit.

b) *Regio Delessericæarum.* Huc plurimæ ceteræ pertinent Florideæ et quidem quo magis earum in roseum vergit color eo majori etiam jure ipso mari privæ judicandæ sunt. Ita *Delessericæ*, *Rhodomeniæ*, *Bonnemaisonæ*, *Callithamnia* etc. extra tænias, profunditate 9—20 orgyiarum, semper leguntur; *Sphaerococci* vero plures, *Hutchinsiae* aliæque (quorum ideo quoque color sæpe olivaceus), etiam intra tænias non raro deprehenduntur.

### Series 1:ma Algæ Olivaceæ.

Divisionem illam Algarum, articulatione innixam, jam ab Algologis primis introductam, et ab omnibus usque ad recentissimos receptam, neutiquam naturae adæquatam crediderimus. Si enim olim incunabulis scientiæ leges affinitatum non rumperet, certe statu Algologiæ hodiernæ minime adaptata est. In *Florideis* præcipue adeo invicem transeunt formæ articulatæ et inarticulatæ, in eodem immo genere utrisque sæpe obvenientibus, et aliquando in eadem specie inferiore parte ad has, superiore ad illas, stricto jure, removendis, ut salva affinitate numquam disjungendæ sint. Neque minori injuria Ulvaceæ Fucoideis Florideisque quam Conservis propiores, ponuntur. Aliam igitur Algarum divisionem fructificatione fundatam, salva,

si quid vidimus, affinitate, periclitamur, cuius primas linneas, ut facilius interpretetur, hic ducere, e re esse existimamus, ad observationes quibus innititur, dissertatione propria Actis Holmiensibus inserta depositas, fusius examinandas relegantes. Algæ itaque in (saltim) 3 magnas sectiones seu mavis series abeunt, quarum.

1:ma, *Algæ Zoospermieæ*, Nostochineas, Conservoides (excl. Ceramieis etc.), Ulyaceasque complectitur. Plantæ hue pertinentes e loculis, (cellulis, articulis vel tubis) constitutæ sunt, in quibus ipsa massa inclusa granulosa tandem in sporidiaabit. Sporidia itaque harum in unaquaque totius frondis parte formantur; in paucissimis organum exterius adest, per quod exirent. Motu quasi spontaneo, jam intra cellulam inchoante, prædicta, per foramen singulum e cellula quaque eluctantur, et ad latus obscurius vasis, in quo continentur, tendentes, ad limitem aquæ mox tranquilla depónuntur. Dum hæc locomotivitas manet, rostro plus minus conspicuo, semperque præeunte prædicta sunt, cuius vibrationibus, ut crediderim, ipse motus dependet, quodque hoc desinente reflectint et ad corpus applicant atque ita formam rotundatam dehuc accipiunt. Germinatio eorum in immediata ipsius Sporidii elongatione consistit, nullis emissis membranam Sporidii perrumpentibus fibris. Sporidia, licet plerumque dense aggregata, singula semper singulum formantia individuum, nec, ut velint nuperi, in unicum numerosa coalescentia. Ad speciem matri omnino identicam semper evolvuntur, nullo umquam ex una in alteram formam transitu, nulloque e loco natali pendente metamorphosi. Color viridis, est fere omnibus communis, et consistentia frondis ex inclusa massa sporidiigena pendet; sporidiis enim elapsis frons incolora dissolvitur.

Sporidia Algærum quarundam a planta matrice dissolvi, et locomotivitate, animalculum potius indicante, prædicta, vivacissime circumagi, jamdudum observatum fuit. Phenomeno autem hoc <sup>sa</sup> paucissimis tantum observato (idque in iisdem plerumque speciebus), et a variis auctoribus varie descripto, factisque eo minime pertinentibus nimium condito, nec de vera ejus natura, nec de ejus limitatione inter Algologos convenit. Plurimi auctores alienæ cuidam origini id tribuere voluisse videntur; alii paucis speciebus limitatum existimantes, has nunc ad vegetabilia, nunc ad animalia retulerunt <sup>4)</sup>; pauci denique analogis nimium freti, omnibus

---

<sup>4)</sup> *Gauillon* totam suam de Nematzoariis doctrinam, observationibus in Conf. comoidem institutis sine dubio fulcit, sola ana-

inferiorum ordinum organismis commune crediderunt. Quin vero observationes nostræ luculentissime docuerunt, locomotivitatem istam Sporidiorum ex ipsa natura carum, in quibus obvenit, Algarum pendere, nec e aliena causa vel fortuito casu ortam esse; quumque ex iis sequitur eam certis quibusdam familiis limitatam esse, neque Algis tantum aquæ dulcis (ut voluit Gaillon), neque omnibus Cryptophytis (ut placuit Meyen) communem esse, non potui quia eam fundamentum Systematis optimum præbere mihi certissime persuasum habeam. Familiae insuper, in quibus eam observavi, etiam aliis characteribus non male conveniunt, ita ut eas seriem bene naturalem constituere nullus dubito. Locomotivitatem sporidiorum in *Draparnaldiaes* (*Dr. tenuis*) in *Conferveis* (*C. zonata*, *C. area* *C. crispata* etc.) in *Conjugutis* (*Z. quinino*) in *Ectocarpeis* (*Ect. tomentoso* et *Ect. siliculoso*) in *Ulvaceis* (*Ulv. clathrata*) et in *Siphoneis* (*Br. arbuscula*) observavi; in familiis autem pluribus, quas illis plerumque proximas ponunt auctores (ex. gr. *Ceramiaes*) eam numquam existere pro certo affirmare possum. Solae familiae, quas analogia tantum ducti, nullisque observationibus fulti, ad illas retulimus, sunt *Nostochineæ* et *Oscillatoriæ*.

2:da, *Algæ Florideæ*, *Ceramieas*, *Florideasque* (sens. str.) comprehendit. Fructus harum exiguum partem ipsius frondis tantum efficit; nec e sporidiis (ut apud antecedentes, in quibus saltim ea frondis pars incolora evadit et dissolvitur, e qua egressa sunt sporidia), pendet ipsa, ut ita dicam, subsistentia frondis. Sporidia, nulla locomotivitate prædicta, plerumque organis exterioribus propriis inclusa sunt. Longe maxima pars fructificationi duplici, ut dicunt, luxuriat: 1:o semina, variae formæ, *Capsulis* inclusa. 2:o *Sphaerocarpia* e seminibus quaternatis constantia (granula terna apud auctor.), sub epidermide sparsa, vel soris collecta. Semina utraque fertilia, germinatione fibras radicales per ipsorum membranam emittentia. Color his plerumque roseus vel purpurascens.

Varie de fructu duplici disputatione auctores; nullis autem umquam institutis germinationis experimentis omnium incertæ et hypothesis tantum fundatae theoriæ. *Turnerus*, *Mertensius*, *Lamourouxius* et recentius *Gaillon* diversissimas de ea promulgarunt sententias. Hic præcipue in eximio de *Thalassiphytis* tractatu suis de eo disseruit, unum genus, sive granula ternata, alteri (sive capsulis) semper prius esse et originem dare demonstaturus. Granula, ut in his plantis flore apud superiores quasi analoga, ideo *Anthospermia* salutavit. Pluribus autem utriusque generis ger-

---

logia ad *Confervas* quoque eam extendens. Est autem motus frustulorum in omnibus Diatomis, longæ aliæ naturæ, (et ut crediderim animalis originis), ac motus Sporidiorum in *Confervis*, unde diversæ nostræ redundarunt de hoc phænomeno sententiae.

minantibus observatis, asserere possumus utraque esse semina, et quidem sine ulla invicem mixtione fertilia, nullaque ratione altera alteris mutuo dependentia. Granula ceterum semper ternata perhibent auctores, nobis vero normaliter quaterna obvenerunt, id quod analogia cum perfectioribus Cyptogamis quoque probare videtur.

3:a, *Algæ Olivaceæ*, ceteras omnes includit. A Floridaeis, quibus alias in plurimis convenient, differunt defectu seminum quaternatorum, fructuque, quo gaudent, non parum diverse constructo. In variis autem generibus varie formato fructu, hæc tribus in plures sectiones olim forsitan dividenda.

### FAM. I. FUCOIDEÆ.

Frons olivacea, compressa vel foliifera, coriacea. Fructus receptaculis propriis plerumque inclusi. *Glomeruli sphærici*, semina continent, intra membranam receptaculi numerosi, laxa cellulosa nidulantes, poroque superficiali per ductum breve communicantes. *Semina elliptica*, sacculo mucilaginoso cincta, altero apice ad cellulas, peripheriam glomeruli constituentes, affixa, pilisque simplicibus exinde quoque egredientibus stipata, altero apice centrum glomeruli spectante libera; tandem matura, ad basin soluta et ad medium glomeruli, apicibus laxis filorum stipantium tantum occupatam, decidentia, indeque per canalem ad porum superficiale ducentem elabentia. Germinantibus, ex singulo semine singula oritur plantula, nec e fibris coalescentibus multorum seminum existit placentia, unde ipsa provenit Alga (ut ex observationibus *Martii* et *Stackhousei* suspicere licet). Germinationis fusorem descriptionem videoas in Act. Holmiensibus.

Fructificationem specierum etiam vulgatissimarum hujus familie admodum vage descripsérunt Auctores. Structuram fructus, quam supra indicare conati sumus, in speciebus (*F. vesiculoso ex. gr.*) ad oras nostras maxime frequentibus obvenientem, omnibus hujus familie so-  
ciis, paucis tantum mutationibus communem esse, crediderimus.

Paucæ tantum in mariis Sveciam alluentibus obveniunt hujus familie species; 4 illarum in *Synopsi* recententur, nos 5:am adjectimus. Ut jamjam indicavimus, in limite mari, vix infra profunditatem 1—3 organiarum, optime vigent, et quidem summam violentiam maris evi-

tantes, omnes sinus, locaque magis tuta ut propriam earum patriam implent. Profundiori mari obvenientes, formis insolitis plerumque ludunt.

**HALIDRYS Lb, Grev.**

*H. siliquosa* L. Ag. Syn. pag. 2. Syst. pag. 287, Grev. Alg. Britt. p. 9 t. I.

*Hab.* inter saxa littorum, æstu non expositorum, profunditate 1—2 orgyiarum vulgo occursens; a Bahusia summa usque in fretum Sundicum vulgarem legimus.

*var. evesiculosa.*

*Hab.* profunditate 3—4 orgyiarum, intra tænias ad Koster protraxi.

Forma omnino analoga var. evesiculosa *F. nodosus*, etiam profundioris maris incola, primo aspectu a vulgaris non parum recedit; rami magis elongati et flaccidi, vesiculæque plane desunt.

**FUCUS L. Ag. — Grey. t. II.**

**1 *F. nodosus* L. Ag. Syn. p. 3. Syst. p. 275. Grev. p. 16.**

*Hab.* ad rupes, in superiore limine maris sinuum tranquilliorum a Bahusia summa usque ad Kullaberg frequenter, fretum Sundicum vix intrans.

*var. evesiculosa.*

*Hab.* specimina nonnulla, retibus immixta, ad Kulaberg legi.

*Chordariam scorpioidem* Lb. ad hanc vel antecedentem speciem pertinere, nullis dubiis vacare existimarem. Quoad habitum æquo fere jure et ad hujus et ad illius statum evesiculosum referenda, unde specimina utriusque Lyngbei nomine forsitan insinuata occurunt; quoad structuram vero icon Lbyei ad *F. nodosum* certo pertinet. Frons nimirum hujus e cellulis constat valde singularibus (vid. Kieser Phyton. Tab. 1. fig. 13.) anastomosantibus, quas quidem etiam in hac varietate inveni, quasque in icona suæ Chordæ scorpioides quoque depingere voluisse videtur Lyngbyeus. Statu exsiccato varietates utriusque plantæ difficilius distinguuntur, vivæ autem colore, unicuique speciei singulari, statim dignoscendæ.

2. *F. vesiculosus* L. Syn. p. 4. Syst. p. 275. Grev. p. 12.

*Hab.* ad saxa rupesque in ipso limite maris ubique frequenter.

Plurimas, quæ occurunt hujus varietates ex diversis locis natalibus pendere, crediderim. Forma maxime contracta, receptaculis globosis vesiculisque nullis, fere semper denudata, undisque singulis quandoquidem tantum irrigata occurrit; optima vesiculis regularibus, receptaculisque ellipticis, in ipso limite obvenit. Formæ majores et latifoliæ locis profundioribus proveniunt, ideoque, ut superficiem contingent, vesiculis magnis numerosisque instructæ sunt.

*var. chondriformis* nob. fronde angusta linearis evanescentia, costa evanescens.

*Hab.* locis obscuriusculis ad saxa sparsa Portus Kärringön.

Singularis varietas, habitu fere majoris Chondri crispi; costa evanescens quoque ad F. evanescensem accedens.

3. *F. Serratus* L. Syn. p. 6. Syst. p. 278. Grev. p. 15.

*Hab.* rupibus infra limitem maris adnata, ad oram occidentalem ubique frequenter; in sinubus tranquillioribus profunditate circiter orgyiali, in rupibus magis expositis paulo altius descendens.

### HIMANTHALIA Lb. — Grev. t. III.

Obs. Nomen hujus melius *Halimas* legeretur.

† *H. Lorea* L. Ag. Syst. p. 280. Grev. p. 20.

*Hab.* ad oras Bahusiæ rarius; in littus ejecta ad Kärringön et Koster, pluries specimina pulcherrima legi.

### FAM. II. SPOROCHENOIDEÆ Grev. p. 36.

Familia auctoritate Grevillei recepta, cuinam e sequentibus forsitan potius injungenda.

### DESMARESTIA Lam.

*D. acuteata* L. Ag. Syn. p. 10. Syst. p. 259. Grev. p. 38 t. V.

1. *Hab.* fundis profundioribus intra tænias extimas, vel in aperto mari, a Bahusia summa usque ad Kullaberg frequenter.

2. *D. viridis Fl. Dan. Ag. Syn. p. 14. Syst. p. 259. Grev. p. 39. Tab. VI.*

*Hab.* cum priore usque ad Helsingburgum.

Fructu utriusque ignoto, tantum Grevillei morem gerens a Sporochnis distinxii. Species allatae vix ex habitu in diversa genera divellendæ. Fila articulata fere penicillata in *F. viridi* etiam obveniunt.

### FAM. III. DICTYOTEÆ Lam. ref.

Frons olivacea, reticulata, membranacea, radice seuta. Semina limbo pellucido cincta, filisque clavatis articulatis saepe stipata, soris definitis aggregata.

Familia bene limitata, fundis ostreæferis intra-tænirosis præcipue quærenda. Species tantum 5 antea ad oras Sveciae lectæ, nos 8 eives novos adjecimus.

### PUNCTARIA Grev. 1. 8

Frons simplex plana, ecostata, radice nuda. Semina ovata, soris rotundatis punctiformibus per totam frondem inordinate sparsis collecta, filisque clavatis stipata.

1. *P. plantaginea Roth. Grev. Alg. Britt. p. 53. t. IX! Ulva rubescens Lb. p. 27 t. 7!*

*Hab.* tenuior in scrobiculis infimis rupium extinorum; magis coriacea in rupibus æstu vehementissimo expositis circa Kärringön, ut ad Måskär Flatskär etc. parcus; ad Koster raro; parasiticam numquam legi.

Obs. Magna confusio hujus speciei; eximie a Greville illustrata, a ceteris plerisque cum *P. undulata* confusa. Planta Rothii nostræ indentica videtur. Quoad magnitudinem et substantiam valde variat; plerumque 6—8 pollicaris, unciam latitudine æquans, et fere coriacea; aliquando bipollicaris, 2:as lineas lata et tenuissima.

2. *P. cæspitosa nob.* frondibus cæspitosis tenuissimis subpellucidis viridibus cuneatis lanceolatisve margine undulato-plicatis in stipitem capillarem attenuatis.

*Hab.* in sinu Codano rarius, Algis parasitica lapilliæ affixa.

Ad Lam. debilem, ut credidetim, plerumque relata, quasi forma ejus borealis et magis contracta judicata fuit. Stipites quam in affinibus magis elongati, capillo vix crassiores, eximie cæspitose, mox in frondem cuneatam lanceolatamve, 2—3-pollicarem dilatatae.

3. *P. undulata* nob. frondibus aggregatis olivaceo-nitentibus linearibus obtusis undulatis tortisque basi longe attenuatis.

*Ulva plantaginifolia* Lb. p. 31 t. 6 sec spec. a Hoffmann. missa. Ag. Sp. p. 138 (Zonaria?) *Ulva fascia* var.  $\beta$  Lb. p. 28 t. 5? *P. tenuissima* Grev. Alg. Britt p. 54? (exclus. syn.).

*Hab.* in sinu Codano et freto Sundico parcus, Zosteræ marinæ fere semper parasitica.

Fronde linearis saepe omnino spiraliter torta ab affinis bus facile dignoscenda; a *L. fascia*, cui habitu maxima convenit, differt fronde magis membranacea et nitente pilisque vix obsita, versus basin multo magis attenuata, chartaque non adhærente; Illa insuper rupincola, hæc in *Zostera* parasitica.

Fructificatione hujus et antecedentis speciei nondum detecta an hujus generis incertum; habitu autem convenient.

### ENCOELIUM Ag.

Frons simplex, tubulosa, radice nuda. Semina obovata strato exteriori affixa, filisque articulatis stipata, in soris punctiformibus per totam frondem inordinate sparsis aggregata.

† *Enc. echinatum* Mert. Ag. sp. p. 145. Grev. Alg. Britt p. 50 t. IX.

*Hab.* Fucis majoribus parasitica, in limite maris ad oras Bahusiæ rarius.

† *Enc? pusillum* Carm. Hook Br. fl. p. 277.

*Hab.* in Chorda filo parasitica, ad Kärringön rarissima.

Species certe cum Hookeri identica, si quidem fides speciminibus a D:na Griffiths hoc nomine missis habenda sit; quoad genus autem adhuc dubia. Quantum e speci-

minulis paucis a me lectis dijudicare liceat, structura ab Encoceliis non parum diversa gaudet.

3. *Enc. bulbosum* Lam. Ag. Syst. p. 262. Grav. Alg. Britt. p. 51. Gastrid. opuntia Lb. tab. 18.

*Hab.* in Chorda filo aliisque parasitica, fundis ostreæferis prope Koster minus parce, circa Kärringön rarius.

Species apud nos longitudine ultra pedali et diametro sæpe sesquiunciali luxurians, ab antecedentibus fronde inflata eximie intestiniformi membranaceo-tenerima, abrupte in stipitem attenuata, dignoscenda.

**SCYTOSIPHON** Ag. — Grev. t. 8 (Dictyosiphon).

Frons ramosa, tubulosa, radice unda. Semina (?) ovo-rotundata, per fondem reticulatam sparsa, solitaria,

1. *Sc. foeniculaceus* Huds. frondibus longissimis filiformibus implicato-flaccidissimis ramosis, ramulisque elongatis subdichotomis distantibus undique ob sessis.

*Hab.* in sinubus omnibus tranquillioribus currentibus expositis, in limine vel nonnullarum orgyarum profunditate, aliis parasitica, ad omnem oram Occidentalem saltim frequenter.

2. *Sc. ramellasus* nob. frondibus elongatis setaceo-filiformibus rigidiusculis ramosis, ramentisque brevibus simplicibus densissimis divaricatis sub-recurvis undique vestitis.

*Hab.* In aliis parasitica, ad oras nostras rarius.

A præcedente diversam crediderim, rigiditate ramentisque lineam vix distantibus et bis lineam longis, fere aculeiformibus habitu magis Chord. ramentaceæ ad propinquantem, et ab ea tubulositate et consistentia tenuiore frondis caute distinguendam.

*Sc. Hippuroides* Lb. hic pertinere videtur.

**STILOPHORA** Ag. nob.

Frons ramosa, tubulosa, radice nuda. Semina obovata cum filis brevibus clavato-moniliformibus in soros definitos verrucæformes per totam frondem inordinate prominentes collecta.

UB WIEN



+AM481232207

